

**Dissertatio inauguralis medica de siti p.n. aucta / [Wilhelm Lorenz
Herbort].**

Contributors

Herbort, Wilhelm Lorenz.
Metzger, Georg Balthasar, 1623-1687.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tübingen : J.H. Reis, 1673.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/bzud8dcy>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
^{DE}
SITI P.N. A U C T A.

Quam

Authoritate, Decreto & Jussu Gratiosæ Fa-
 cultatis Medicæ, in Alma Tubingensi.
 um Academia

SUB PRÆSIDIO

V I R I

Nobilis, Excellentissimi & Experientissimi,

DN. GEORGII BALTHASARIS
METZGERI, Med. Doct. Pract. Anat. &
 Botan. Professoris Celeberrimi, Dn. Præcepto-
 ris, Promotoris ac Hospitis æviter-
 nūm venerandi

Pro

L I C E N T I A

*Summos Honores Privilegia & Insignia Doctoralia in Arte
 Medica rite impetrandi
 Publicæ censuræ subjicit*

GUILHELMUS LAURENTIUS HERBORT,
 Stuttgardianus.

Ad diem Febr. M. DC. LXXIII.

Horis Locoq; consuetis.

T U B I N G Æ,

Literis JOHANN. HENRICI REISI.

S T U T G A R D I A E.
M E T R O P O L E O S . W Ü R T E M B E R G I C A E .
M A G I S T R A T U I . L A U D A T I S S I M O .

V I R I S .

A M P L I S S I M I S . C O N S U L T I S S I -
M I S . S P E C T A T I S S I M I S . G R A V I S -
S I M I S .

D N N N .
P R Ä F E C T O .
C O N S U L I B U S .
D I C A S T I S .

E T .


S E N A T O R I B U S .

P A T R O N I S . S U I S . D E V O T I S -
S I M E . C O L E N D I S .

D I S P U T A T I O N E M I N A U G U R A L E M ,
J U X T A .
S E Q U E . S U O S Q U E .

E N I X I S S I M E . C O M M E N D A T .

G U I L I E L M U S . L A U R E N T I U S . H E R B O R T .
A U T H O R . E T . R E S P O N D E N S .



I. N. J.



Mne animal, quamdiu salvum
fuerit, nutritione opus habet,
ex i. degener. & corrupt. s. Nutri-
tio autem cibi & potus beneficio
perficitur; igitur certum Natura utriusque
appetitum animalibus, & inter haec præcipue
homini indidit, unum cibi, alterum potus,
quorum ille fames, hic sitis populariter au-
dit. De utriusque autem natura, sede, &
causis secundum & præter naturam cum ce-
lebres inter Authores dissensus alantur, sepo-
sitô nunc priori, de posteriori, non quidem
ut prima hominis nuper nati passio naturalis
dicitur *Francisco de la Bœ Sylvio id. prax.*
Med. l. i. c. i. & vitæ perpetuus comes, sed
ut p. n. auctus communissimum juxta & mo-
lestissimum & tantum non intolerabile com-
plurium morborum symptoma est, multam
Medico & ægro crucem figens, paulò liberi-

us inquirere , idque *Inauguralis Speciminis*
loco solenni submittere ventilationi consti-
titui. Adsit , quem unicè sitio , Altissimus
& conatibus meis feliciter adspiret !

THESIS I.

 *Itis nomen ad mentem Scaligeri de lingua Lat. cap. 136. defluxit à σπῶ, cibum cupio, quod ci-
bum sumptum plerunque sequatur. Propri-
us tamen Christiano Beckmanno de origin. vide-*

tur Hebræum מַתָּשׁ bibt sitiens, hausit potum. Quid si à Græco synonymous δίψα accerserem, transpositis & paulò mutatis literis, more aliàs non inusitato ? Consulatur M. Estienne Guicchard *l'harmon. etymol. des langu. de la lettre ψ.* Tropicè ingentem subinde rei cuiuscunque cupiditatem notat, sitireque gloriam, honorem alii, alii divitias, ipsum imò sanguinem hinc inde prohibentur. Sitiunt agri & horti rore, & pluviâ destituti, fontes aquæ expertes, &c. Significatus h. l. proprius valet, quò potus in animalibus, & præprimis hominibus, desiderium & bibendi aviditatem infert, non tamen naturalem, sed p. n. auctam, quâ plus, quam naturæ vel consuetudini debetur, appetitur, quam alii πλυδιψίας, δίψας σφοδρᾶς, ἄμετέον, sitim nimiam, vehementem, immodicam, immoderatam, vitiosam, morbosam inscribunt.

Th. II.

*Est appetitus humidi p. n. auctus, intemperiem siccum fau-
cium, linguae, palati, vicinarumque partium, ob humidi natu-
ralis defectum ortam, sequens.*

Th. III.

Th. III.

*Appetitum cum Philosopho 2 de Anim 3. saluto, communicum fame titulo, nec ignorat, nisi qui sitim ipsam ignorat. Appetitum autem intellige non naturalem illum, plantis æquè ac singulis corporis animalis partibus communem, quô privatum singulæ alimentum sine tamen sensu & cognitione appetunt; sed animalem, animale officium 6. de loc. affect. 3. animalibus proprium, & molestō animalis cum sensu conjunctum, quem idē dolorem Pergamenus nominat de inqualit. intemp. c. 4. & comment. 1. in Hipp. de natura humana §. 6. immoderatum, & auctum quantitate tum continuâ tum discretâ; appetunt enim hac correpti & multos potus, & multis vicibus potare, Hier Mercurial. l. 3. prax. Med c. 9. interprete. Præter naturam; Symptoma enim læsæ actionis volo, exclusâ siti in nonnullis s. n. auctâ, aut malâ inductâ consuetudine, quales fuisse verosimile est Bonosi Imperatoris, qui saepè dixisse fertur, non ut viveret se natum esse, sed ut biberet, authore Drexelio. orb. Phaeth. c. 4. & portentosas alias à Plinio notatas l. 25. histor. nat. c. 22. in Tricongio Mediolanensi & L. Pisone, similibus que ad vina perdenda natis, non raro obvias. Dico porrò: appetitum *humidi*; Philosophus l. c. superad. dit: & frigidi; sed de hoc non sine causa dubitatur, an simpliciter necessarium sit, cùm non semper ubi sitis urgat, frigidis opus sit, sed & actu & potentia calidis, brodiis carnium, lacte nutricum, nec non vinô ipsô, & hujus commatis aliis eandem superemus; at humidum semper desideratur, ut per exempla eunti patet.*

Th. IV.

Fons & locus urgentis Symptomatis idem communiter cum fame statuitur, ventriculus & hujus quidem

orificium sinistrum, ob nervorum sexti cerebri paris
huc euntium copiam maximè sensile, quð exsiccatō, ca-
lefactō, aut utrumq; passō ab internis & externis causis,
siti homo premi, & potum concupiscere creditur. Uni-
cus *Helmontius* ex principiis suis jamdudum damnatis pro
orificio dextro loquitur. *tr pylor. rector.* §. 26. Fuere ta-
men inter antiquos, qui sitis sedem in pulmonibus quæ-
sivere, hujusque basiatores dogmatis ex Philosophis Pla-
tonem, ex Poëtis Euripidem, Eupolim, Alceum, E-
ratosthenem, ex Medicis Philistionem & Coum
ipsum reperiō apud *Plutarchum* quest. conviv. l. 7. quest. 1.
hæcque inter illos opinio adeò invaluerat, ut *Macrobiō*
teste, quisque contra senserit, insaniverit l. 7. *Saturn.* l. 7.
c. 15. quâ de tamen non multum labore, tanquam com-
muni votō explosâ, ipseque *Philosophus* non audiendam,
deridendam, stultam vocat 3. *de part anim* 3. tantumque
abest, quicquid de cæteris sit, ut *Cous* hac in parte cum
Platone senserit, ut judice *Corneariō* dissert. de utr. alim.
recept. nullam unquam opinionem pluribus & magis
urgentibus argumentis impugnarit, imprimis 4. *de morbis*, modò hujus author libri dicendus sit, quem a-
lli *Polybium* volunt. Imò pro *Platone* etiam *Galenus*
intercedit, & hujus eum dogmatis accusatum prolixè
excusat 8. *de plac. Hipp.* & *Plat. c. ult.* Nec desunt, qui u-
trique favere parti satagunt, & divisum cum ventricu-
lo pulmonibus imperium concedunt. Videatur. *Casp.*
Hofmann. comment. ms. in l. 1. de loc. affect. c. 8. l. 4. c. 8. Hein-
ricus Jacobus Pauli Anat. Bilf. anatom. p. m. 16. Sed currentia
hi præter necessitatem multiplicant? Pace ego omni-
um secus sentientium fauibus, linguae hisq; adstantibus oris
partibus aliis in descriptione expressis, locum præ ventri-
culo dedi, nec naturâ, ut confido, invitâ nec ventriculo
iratō.

Th. V.

Quid enim quæso est, quod ad ventriculum hoc necessariò Symptoma restringit? Quod $\Phi\alpha\mu\omega\epsilon\omega\nu$ omnium, quod non pro his potius partibus, quām ventriculo militat? Sensu exquisitō, membranaceæ cùm sint, cum sociis fauces partibus vigilant, humidi, cujus maximè indigæ sunt, defectum facile sentiunt, bibendi que necessitatē imperant, ad stipulantib[us] *Waleo l. 1. instit. c. 10. Dan. Voetio. l. 6. phisiol. c. 2.* Has siti urgente affligi, ut fame ventriculum, unō ore fatentur omnes; his exsiccatis, ad nauseam licet & vomitum usque distento p[ro]tu ventriculo, vox faucibus hæret, lingua palato, sitibundumque surgit desiderium & humidi appetitus; his iterum correctis, & debitè irrigatis cessat, s[ecundu]m ne guttulâ liquidi ad ventriculum descendente, quotidianâ subscribente experientiâ; at sedem causamque affectus prodit sanatio *z. aph. 17.* Unde vel ipse ventriculus hoc Symptoma suum esse apertè inficiatur, pernitiosō sibi creditum dogmate, quibus potest precibus, deprecatur & verbis per quam emphaticis faucibus vindicat apud *Bernhard. Suvalve in querimon. & op. probr. ventricul.*

VI.

Faucium itaque & vicinarum partium intemperiem siccam non malè accusâsse videor, quam siticulosi mecum omnes accusant, quam corrigere, humectare omnes desiderant. *Galenus 4. de sympt. causis 76. de loc. affect. 3.* triplicem intemperiem in jus vocat, calidam, sicciam, & utramque junctam. Verūm, ut de calida siccâe nupta facilè largior sitim auctam inducere cum *Sennerto lib. 3. prax. p. 1. f. 2. c. 7.* lima enim siccitatis calor, caloris siccitas est; ita à solo calore sine comite siccitate vel

vel hoc solum in loco idem fieri persuaderi mihi vix patior. *Avicenna* pro nimia etiam frigiditate pugnat, cum nivem epotam sitis causam accersisse *Historicorum fides* afferat. *Aliis* pariter humiditas suspecta est, exempli hydropticorum, quibus in aqua natat anima, siti tamen torquentur plus quam Tantalae. Sed nivem quoque siccitate potius & calore quam frigiditate hic agere quod agit, prolixè *Thomas Bartholinus*, rationibus & oculorum munitus fide ostendit de *nive cap. 35.* & seq. Nec humido ut tali, sed salsis exsiccantibus scoriis adulterato hydropticorum sitis imputanda; ut mox plenius constabit. Solam ergo siccitatem p. n. affectui nostro sufficere puto.

Th. VII.

Hanc *defectus humidi naturalis* facit. Natura nec abundat in superfluis, nec deficit in necessariis; cumque varios in usus, fauces, gula, lingua, palatum, iugum humidi stillâ, & quidem in præsens, ad inevitabilem alioquin partium harum siccitatem evitandam, indigeret, humore qualitatum temperie gratissimo, aquæ instar fontanæ insipidâ, quasi scaturigine perpetuâ saliente, unde *Salivæ* nomine non incongruè venit, os semper abundare voluit, quem, ut eò promptior adesset, non è cerebro vel pulmonibus, non ventriculo aut lie-ne, unde Veteres derivârunt, nullò naturæ monstrantis consensu, sed è variis oris glandulis per vasa peculiaria humori cognomina, salivalia superiora & inferiora à *Thom. Warthon. in adenograph. & Nicol. Stenon. de musculis & glandul.* curiosè detecta, in os velut in lintrem capacissimum, effundit, ut perennibus fontium horum scatebris arida oris arva temperet, nocivamque quan-

quantum fieri potest siccitatem præcaveat. Patent ductus hi in os sine sectionis ope conspicui, maximè sublinguales, linguâ ad palatum suspensâ & ad speculum inspectâ, præcipue à prandio, auctô hōc per potum humore, secundūm Schneider. lib. 3. catarrh. c. 6. evomuntque non guttatum modò, sed rivali instar lympham hanc sponte suâ, cujus in se experimenti periculum cum doméstico studioso Thom. Bartholini de exaut. hepat. desperat. caus nec non c. 4. epist. med. 27. omni mane suam ad speculum linguam explorante, facere cuivis facile est; nec difficile segniorem fluxum suctu, contactu aut pressu sollicitare, siticulosorum in morem, qui jam linguâ hinc inde circumductâ, jam globulô plumbeô, crystallô aut id genus aliis infrà memorandis in ore motitatis eundem provocant, & sitis inde suæ solatium quærunt. In humidioribus naturâ vel lippis inter oscitandum se conspiciendos sistunt.

Th. VIII.

Quicquid igitur hanc oris scaturiginem abolet, hos naturæ elices obturat, humidum ipsum, laticem sanguinis terminò Helmontij, consumit, inviscat, extra temperiei lineam abducit, salsa, acri, adstringente, siccante virtute quâcunque armat, sitis nostræ causa fit, pro operantis conditione jam vehementioris, jam mitioris. Operam hīc suam elocant *ex naturalibus* siccus totius & viscerum calor, ventriculi, cordis, pulmonum, art. Med. cap. 64. Jecoris s. de loc. affect. 6. de lie-ne, renibus & reliquis idem judicium. An paterna hæreditas præter hæc peculiare quid contribuat, dubito: ab insigni & famoso helluone natus juvenis omni vitâ ab omni potu abstinuit, apud J. Petr. Lotichium l. 4.

obs. Med. i. cap. i. Bibendi autem consuetudinem augere aviditatem quotidianæ observationes docent. Sexus nobilior præ sequiori, ætas juvenilis præ puerili, vitæ genus laboriosum præ otioso culpari merentur. Borealium corporum constitutionem ad potum necessitate quâdam trahi, Danosque ita Veteres siccandis certatim calicibus assuetos fuisse *Thom. Barthol. de Medic. Danic. domest. dissert. 7. scribit.* Sed victus hîc magis, quô de mox, quam corporum dispositio in vitio esse videtur.

Th. IX.

Non-naturalium agmen ducit magnus Monarcha, verbis Rofinccij method. medic. special. comm. lib. 14. s. 2. c. 1. Aer, isque calidus & siccus, inspiratione, expiratione circumfusione minas spirans, Syrio imprimis aut igne accensus. Conspirant regiones fervidiori & siccō sole calentes, quibus *Mercurialis l. c. balnea calida consociat;* his enim priscos uti consuevisse *Plinius tradit,* ut magis sitirent, & majorem potandi voluptatem sentirent. Mulier inde in magnam totius corporis phlogosin incidit, ut nullō temporis puncto à doloribus & anxietatibus quieverit apud *L. Riverium obß. ecommun. à Petr. Pachequo 33.* Thermæ sulphureæ, bituminosæ idem promittunt consentiente *Reinero Solenandrō s. 2. consil. Med. 23. interrog. 20.* Post aerem varia sitis irritamenta offerunt cibi & potus. Illi calidi & sicci, aridi, acres, austeri, adstringentes, multò sale imprægnati, fumō indurati, (quem civium suorum *Thomas Bartholinus l. c. viatrum depingit*) pipere, aromatibus aliis, saccharo, melle, plus debitō conditi omnis generis, avidè humidum oris imbibunt, secum ad ventriculum rapiunt, acri-

acribus, exsiccantibus aculeis relictis, aut à ventriculo remissis, exsugunt, absumunt, adstrictoriis rivulos viribus claudunt &c. Peccat omnibus ferè modis his fumus tabaci familiariter admissus, ut hinc continuam pøtus ingurgitationem & sui eluitionem postulet. Allium *Plinius l. 20. histor. nat. c. 7.* præ aliis siticulosum arguit, cuius tamen causam *Galenus* strenuè agit, quo jure nescio, *ii. m. m. ult.* Similis cum hoc famæ cœpæ sunt. Idem *Galenus l. de sympt. causis 7.* ex aquâ marinâ falsâ, frigida liberaliter bibita, lethalem sitim ortam vidit. *Hippocrates l. de acut. usum panis calidi, pisces marinos frictos in oleo vel butyro* *Wilhelmus Rondeletius meth. cur. morb. l. 3. cap. 10.* eodem nomine damnant. Vina dulcia sive naturâ sive arte, vetera sincera, intemperanter & amyctide pota, generosa alia, aromaticâ, mulsa, criminis hujus promiscuè rea fiunt. Medicamenta cujuscunque ordinis calefaciente & siccativâ virtute valentia eundem post se effectum trahunt, Evacuantia omnia fortiora, alviduca, diuretica, sudorifera (quâ se virtute balnea antè citata præprimis probare possunt) sanguinis, lactis, seminis profusio copiosa, humidum aliò vocando, consuetæ evacuationes suppressæ, siccas in corpore fuligines cumulando, inedia sipientes fermenti vapores excitando, malum viriliter promovent. Corporis exercitia modum excedentia, motus linguæ organorumque loquelæ destinatorum continuus, cantiones, clamores, sermones multi symbolum suum conferunt, unde cantores amant humores, & qui venalem vocem habent, continuò altercantes, rabulæ, agyrtæ, clamosæ mulieres perpetuum sitim hostem, quo cum certent, habent. Interanimi affectus ira præcipuè & timor malè audiunt *ii. probl. 3.*

nec ratio è longo pétenda est, vid. *Zacut. Lusitan. lib. 3. prax. histor. cap. 15.*

Th. X.

Supersunt in causarum serie, *præter-naturalia*, ordine non virtute postrema, imò punctum ferè omne ferentia. Quid febrilis sanguinis æstus possit in biliosis præsertim & ardentibus febribus, fuliginibus tantum non igneis, faucibus & ori inter circulandum transmissis, nemini non notum. Nec minoris efficaciæ, experientia fatente, viscerum supra notatorum & partium aliarum incendia censenda. Salsi, nidorosi hœrumque similes è ventriculo surgentes vapores, quos bibaculi ex corruptâ sentinâ ab hesterna crapula reliqua plerunque expirant, sal lixiviosum in bile abundans, sal alcali, quod saturari desiderat, putridum secundum *Grembs arbor. integr. & ruin. hom. l. 2. c. 1. §. 3.* sitiendi necessitatem augent. *Sylvius* halitus ab acriori bile cum succo pancreatico in intestino tenui effervescente, ad ventriculum & fauces missos ariditatis p. n. sensum facere monet, pariaque moliri credit, si per vas a lactea ad cor penetrent, sanguinem & hinc salivam vitiosâ salsugine inficiant; *Scorbuticis* hoc salivæ vitium ferè proprium est, & *Danis*, propter malum hoc endemium, quasi naturale ex *Thom. Bartholino l. c. dissert. 6.* Salsâ hâc scaturigine perenni in ore confluente, hydropici mediis sitiunt in undis, & quò plus potæ plus sitiuntur aquæ. Ex arthritide sitis inextinguibilis humore ad artus imperfectè expulsô hotatur à *Riverio cap. 3. obs. 29.* Compari fauces molestiâ urgentur, subtracto debitô humidô in mesenterii, hepatis, lienis obstructionibus, in diabete, & hujus furfuris aliis. *Jacobus Henr.*

Henr. Pauli. l. d. c. 8. exsiccatis lymphaticis jugularibus suis asperæ arteriæ cartilagines siticulosas fieri putat. Tandem venenata hōc se criminē nobilitārunt, quæ inter vipera, & præcipuè dipsas suo se nomine soricis instar prodens, famosa est, & sive in potu suffocata 1. de caus. sympt. 7. sive comesta 11. de simpl. medicament. facult. ult. sive morsu nociva inexplebilem sitim imprimere dicitur; quod idem Nicander de scorpione reliquit: virtutem alii occultam adducunt, ut occultā vi theriaca sitim hanc levare fertur, apud Alexandr. 1. problem. 15. alii desiccante contenti sunt. Sed totum assertum hoc suspectum reddit Franciscus Redi Nobilis Aretin. qui nec potum è viperā suffocata nec carnem comestam, hoc criminē digna observavit. obs. de viper. Ephemerid. nat. curios. annexis. An illud hāc valet? una hirundo non facit ver. Sitim ex veneno assumto annotat Benedictus Sylvaticus cent. 4. consil. & respons. 80. Ex lue vene-rea contractum faucium siccitatē & comitem sitim vedit Mercurialis l. d. Ejusdem ex vermis ortae Alexander Benedictus l. 11. c. 23. meminit.

Th. XI.

Signa pro hujus affectus notitia anxiè colligenda non sunt, cùm æger ipse nolens volens de suo conqueri symptomate præ doloris vehementia, nisi mens laboret, necesse habeat; Nec adeò difficile est causas subolfacere. De externis iterum Medicum patiens nec non adstantes monere possunt. In faucibus, ore ejusque vicinis partibus quæ sedet, causa, sensibus plerunque se sistit, aut tamen suis in indiciis patet; fuligines febriles febris ipsa præsens, cordis, pulmonum æstus, spiritus oris igneus, os aridum, sputum crassum, viscosum, lingua scabra, quasi tosta, vox clangosa, ventricu-

triculum afflictum nausea, ructus, halitus vitiōsi, cardalgia, cæteras partes domestica signa alia, manifestant. Laticis defectus ubi in culpa est, causæ absumentes, evacuantes præcessere; falsam sanguinis dispositionem & peregrinas salivæ qualitates gustus judicium discernit: denique juvantia & lædientia ad causarum dignotionem non parum virium habent, ut jam circa curationem plenius constabit.

Th. XII.

Quâ prognostica omnia dixisse videor, dum symptomā urgentissimum dico. Utut enim ex sententia *Mercurialis* (qui *Donatum ab alto mari cum Galeno* aliter sentientem hoc nomine corrigit huncque perperam intellexisse dicit) ex siti nemo moriatur, periculosisſimum tamen symptomā meritò audit, quod morbum prævalidum expugnatuque difficultē indicet, novam jam afflīctō afflictionem addat, totum corpus, graminum adinstar pluviarum defectu contabescientium, aridum & exuccum reddat, viribusque quām maximè insidietur, quin &, huic si indulgeas, vomitum, lienteriam, diabeten *6. de loc. affect. 3. cachexiam, hydropeim, mortem* denique ipsam, hancque subinde subitaneam inferat, quotidianā Pergameno & Authoribus tantum non omnibus experientiā suffragante. In febribus remissionis vel intermissionis expertibus exterioribus frigidis sitis θεραπευον *4. Aph. 48. de causis vid. Commentatores.*

Th. XIII.

Curatio itaque non floccifacienda. Generale autem hīc indicatum urget, ut morbus, à quō sitis morbosa dependet, faucium scil. intemperies sicca, tollatur; umbra enim morborum symptomata sunt, & his abla-

ablatis evanescunt. *Hippocrates* 6. *epid. comm.* 3. *triplex*
 huic scopo remedium ordinavit; oris clausionem, si-
 lentium & aëris frigidi & humidi attractionem. Col-
 limant hūc plura alia partim humidum oris naturale
 colligendo, advocando, exprimendo, partim alienum
 affundendo, vitiosum temperando, simplicia & com-
 posita. Illorum nota nomine sunt omnia duriuscula
 in ore agitata, quæ linguæ palatique spongiam pre-
 mendo, hinc & ex salivalibus ductibus humidum evo-
 cant. *Raimundus Mindererus Medicin. milit. cap.* 2. *siccum*
panis frustum aut globulum plumbeum hinc inde in
ore volvi jubet; ita faucibus hominum, ut equorum
ob continuum freni morsum, jugem humiditatem
pollicetur. Petrus Borellus silices hōc modō commen-
dat cent. 2. histor. & obs. rario. Medico-physicar. 68. cuius
verba dabo: Virum, inquit, novi, qui octo dies sine
potu transfigit etiam æstate, cumque in via longinquā
licet, & sub cuniculæ ardoribus, nunquam tamen bibt,
sed silices in ore parvulos tenet, qui ei prō potu sunt.
Paria cum prædictis præstant cortices citri, aurantio-
rum, nuclei persicorum, cerasorum, grana mastichis,
corallia, crystallus, nec opus hic est ad occultam virtu-
tem, familiare ignorantiae asylum, confugere; Acida
omnia ori concredita quasi emulgere vasa, & spongio-
fiora oris loca videntur, tamarindi, fructus ribium,
berberum, cerasa acida, trochisc. crem. tartari, folia
acetosæ, acetosellæ, nitrum ipsum. Indi Nicol. Monarde
teste de reb. Indic. comm. pilulam pisi magnitudine è ta-
baco concinnatam peregrinantes in ore masticant, &
integrum quatriuum sine sitis & famis sensu consu-
munt; eundem fumus hujus effectum præstat è faucium
vasis liquidiorem evocans humorem, secundūm Schnei-
derum

derum l. 3. catarrh. cap. 1H. s. 2. quō irrigantur: narcoticā verò vi stupefactis faucium nervulis, ut appetentia non percipiatur, operari *Augustinus Thonerus* non malè colligere videtur l. 2. c. obß. *Mea. de catarrh. 3. de stupefacientibus aliis & opiatis idem Platerus suspicatur de appet. defect. curat.*

Th. XIV.

Alienum humidum substituunt, vitiosum temperant, abstergunt aqua præsertim frigida in ore detenta & sæpius mutata, herbæ multâ gaudentes humiditate, portulaca, crassula detractâ cuticulâ in aquâ suffocata, folia sedi majoris, lactucæ, ramenta cucurbitæ, melonum, mali persici, glycyrrhiza $\ddot{\alpha}\delta\iota\psi\Theta$ inde dicta, pruna Damascenæ aquâ aliquandiu emollita, & ori inclusa. Avicenna linguæ ipsi aquam instillat, quâ irrigatur, in ventriculum tamen non descendat. Qui pilulis sublingualibus delectantur, tragacanthum in ovi crudì albumine dissolvere, & cum semine cumerum contrito in formam hanc redigere possunt; mucilaginiæ seminum psyllii, cydonior. aqua hordei, *semper viv. violar. rosar. fl. papav. rhead. extractæ, succus item cancrorum fluviatilium potenter ita sitim fallere nō runt.* Utrumque exequuntur ex utrisque composita, collutiones oris, gargarismata varia *ex aqua semper viv. nymph. acetos. rosar. frigida simplici, eum aceto aut lapide prunellæ castigata.* Celebre præprimis hocque dignum loco est curiosum siti restinguendæ aptum instrumentum *Sanct. Sanctorii comm. in prim. fen. Avicenne. quest. 87. descriptum.* Confit ex vitro vel argento in forma amygdali vel lapidis persicorum, foraminibus exiguis undique pervium, quod vel sero lactis, vel succo citri, vel vino granatorum aut liquore quocunque fauces

fauces humectante repletus orique concreditur, ex foraminibus sudoris in morem liquor inclusus paulatim destillat, faucesq; irrigat, imbibit autem liquorem suum instrumentum hoc, si calefactum eidem immergitur.

Th. XV.

Verum enim verò, cum intemperies hæc à variis ex superioribus causis foveatur, & hæc removendæ veniunt, id quod dictu factuque circa exrernas facile est. Aër nocivus commodiore permutetur, suavis sine sole ad ripas spirans eligatur, apertis fenestris in conclave inducatur, domesticus aquâ aut herbis refrigerantibus humectantibus per pavimentum sparsis corrigatur; loca subterranea quærantur. Aéri victus correspondeat; laudantur ptisana, olera humectantia, lactuca, spinacia, portulaca intybacea omnia, fructus humidi, poma, pyra, persica, armeniaca, pruna, ficus recentes, rapæ succulentæ, juscula carnium, agninæ, vitulinæ, vervecinæ, gallinarum, præsertim pullorum, multâ cum aqua sine sale parata; aquæ potus, cerevisia tenuis, serum caprinum, vaccinum, oxygala, varia decocta mox indicanda. Sed ne quid nimis; ne ventriculus obruatur, fermentum nimiâ aquositate viribus suis exuatur. Adsuetis F. Platerus etiam vinum porrigit. Philippus Grunlingius siti crapulam secutæ, quam nec cerevisia, nec aqua, nec liquor quicunque explere potuit, claretum quod sequitur cum successu præscripsit cent. 6. curat. 2. R. flor. rosar. rubr. Mj papav. rhead. Mß. santal. rubr. ʒiſ funde aquæ acetos. Hisp. lactuc. card. Mar. cichor. rosar. ana ʒiij. hæc simul ebulliant, post exprimantur & filtrantur. add. syr. è succ. citri, berber. & aq. cinam. q.s. tinturam quoque ex iisdem ferè eundem in scopum oculis & palato blandientem. l.c. & l.z. practic. Med. p. 3. c.s. conficit.

Th. XVI.

Ex pulmonum æstu, asperæ arteriæ, oris exiccate
tione sitientibus magis aere humidô quàm potu opus
est, probanturque præprimis supra laudatae oris collu-
tiones frequentes; naribus etiam nonnulli flor. violar.
purpur. rosat. præsertim albar. nymph. continuò olfa-
ciendos objiciunt. Febrem quæ comitatur sitis, præter
jam adducta communia, internum totius sanguinis æ-
stum hujusque causas coercentia desiderat. *Cous 4. de a-
cut. t. 5.* hydromel ad satiem exhibet. Galenus cremo-
rem hordei, decoct. radic. apii extollit. Communiter
ferè potum aquæ fontanæ cum syr. aut Julep. violar.
paucis guttulis *spir. sulphuris, nitri, vitrioli, vitrioli Martis,*
additis permistum præbent: *Nitrum* præparatum facile
omnibus palmam præripit; sed ventriculum nonnullo-
rum judiciô lædere minusque alvi fluxu aut dysente-
riâ præsente convenire creditur, cujus tum vires tueri
potest essentia acetos. cum syrup. viol. ad guttul. 50.
60. in cerevisia aut convenienti vehiculo alio propina-
ta. Oxycratum suum etiam locum invenire potest. vid.
Greg. Horst. cent. probl. Medicin. decad. 5. quæst. 4. Quidam
oleum camphor. aquam sapore, colore, & odore men-
titam paravit, & hujus gutulas. 3. in aq. frigidâ arden-
tissimâ febre cum delirio laborantibus feliciter propi-
navit, deprædicandum vel hōc nomine remedium,
quod sapore omni destitutum etiam delicatissimis of-
feratur facile. Decoctum citri Mynsichti, emulsiones
ex sem. frig. cum decoct. hordei, eoque, ubi alvi fluxus
molestus, chalybeatō fieri possunt. Succurrere etiam
valent externa, quæ pariter in hepatis, renum, alio-
rumque viscerum incendiis efficacia sunt, hepati, cor-
di, renibus, testibus, fronti, temporibus, pulsibus ap-
plicita, quorum sæpius ope felicius se sitim sedasse scri-
bit

bit Hercules Saxonia, quām internis; prōsunt hic unguen-tum rosat. infrigid. ceratum santalin. epithemata ex aq. cichor. tarax. sperm. ranar. lactuc. nymph. & simili-bus c. specieb. diatr. santal. succo agrest. pro epithem. cord. hepat. sacch. Saturn. & camph. olea viol. nymph. de cucurbit. Manuum & pedum balnea ex convenien-tibus exstructa, optima sunt; commodè enim intem-periem totius singula sanguinis temperare norunt.

Th. XVII.

Nec inutile est in æstuantis sanguinis impetu coer-cendo subinde sanguinem mittere exemplō Riverij in retrocessu causæ arthriticæ loc. cit. Chirurgia infusoria huc quoque vocari posset, mōdò de liquore infunden-do ad votum constaret. Salsedo sanguinis interdum etiam purgantia mitiora suadet, v. g. dilutum rhab. de-coctum fol. senn. Mynsicht. haustum mannae, vinum passulatum. Diuretica in hac eluenda similiter valent; sicque lixiviosum bilis salem *Sylvius* aqueis diluentibus, & ad vias urinarias abducentibus corrigere, acidis acri-moniam frangere, oleosis obtundere jubet, v. g. emul-sionibus oleosis, amygd. seminum oleosor. aliorum, violat. Mynsicht. Scorbuticis præ reliquis decoctum. chin. cum rad. liquirit. & santal. commendat *Timæus* lib. 2. epifl. 29, ad satiem bibendum. E ventriculo nido-roxi surgentes vapores cruditatum emendationem, acrum nidorolentorum præcipitationem, salis alcali saturationem imperant. Potus hic aquæ inter alia vel solius vel acetato mistæ largior concedi potest; commodè nonnunquam etiam vomitus excitatur. Ob inediam, nimias evacuationes, in marasmo aut tabe, si nascitur sitis, victus analepticus, juscula restaurantia sine sale cum seminibus frigidis majoribus, herbis coctis humi-dioribus alterata in subsidium veniunt. Vinum etiam

tenue, aquosum, aut aquâ dilutum medicinæ magis quam pótus locô cæteris paribus indulgeatur. *Galenus* in emaciatis talibus duo potissimum remedia, lac & balneum laudat *7. m. m.* quæ aliis causis peccantibus *Hippocrates* *5. Aph. 64.* proscribit: modus administrandi circa phthisin, & hecticam apud Practicos ubique obvius est.

Th. XVIII.

Hydropicorum sitis unicum ferè antidotum suum in spir. salis habere dicitur in convenienti liquore exhibito: confert & sal absynth. ad gran. aliquot in aq. sambuc. card. bened. exhibitum, si usum aliquandiu continuaveris. Idem encomium acidis seu esurinis aliis concedendum, nitro vitriolato *Myns.* Sp. vitrioli coagulato, elixiri propriet. Paracels. vitrioli *Myns.* & consimilibus jam nominatis. Ex communibus conserva acetosæ, acetosellæ, syrupi horum, acetos. citri & plurium non postremum locum merentur. Saccharata tamen manu, quâ fieri potest, parcissimâ præbeantur. Ita *Cabrolius* se octuagenarium restituisse narrat, qui non nisi salsa comederit, & ne siti obrueretur, falsuras seu condimenta ex saccharo & aceto cibis miscuerit. *Heurnius* se esu cucumerum acerò conditorum idem obtinuisse scribit. Ex diabete ortô symptomate *Lud. Mercatus l. 3. de intern. morbor. curat.* narcotica & sensum stupefacentia omnibus reliquis præfert; hinc syr. papav. cum aq. hord. malv. vel alth. syrup. de portulac. & necessitate jubente ipsum philonium Romanum propinat; alii opiata alia, ut sensus acrimonia retundatur & somnus conciliatur. Forte enim & hoc sensu sitientibus admodum obdormiscere bonum *s. aph. 27.* pilulæ de cynogloss. huc referri possunt. Reliquis denique causis debitô occurrent dum modô locôque. Sed manum de tabula.